IN OSCA

EPIGRAMMATA NONNVLLA

COMMENTARIVM XI.

RAYMVNDI GVARINI.

NEAPOLI,
Apud Raphaelem Miranda

1830.

Hostis abest: tumidos posuerunt aequora fluctus.
Hactenus obsessum perfice, navis, iter.

PRAELOQVIVM.

Osci tituli quidam ad nos delati, ne inauditi sine ullo responsionis munere dimittantur, paullo importunius, sed tamen citra iniuriam, postulare videntur. Quo in capessendo negotio haud sane iucundissimo haec tironem praemonitum volumus, a quo unice inituros gratiam et cupimus, et speramus.

Cum veterum monumenta praeiudicata iam maiestatis suae opinione percellere animos soleant, inque sui admirationem rapere; tum vero id usuvenire cum primis solet in iis, quae latentis aliquid praeferunt, arcanique spem faciunt lectori. Inde enim inveniendi cupido fit de repente novitatis simulacrum, expectatioque ingens, quae prudentem etiam, collyrio illito, in errorem inducant, deque via abducant sine exitus spe ulla. Cuius rei unae Tabulae Iguvinae incautis exemplo esse queant, quibus in exponendis Bourguetius, Gorius, Bardet-

tius, Passerius, Maffeius, quales, quantique viri! non tantum insudasse frustra, quam docte somniasse iis videri possunt, quorum nunc manibus Lanzii commentaria teruntur.

Fatendum enimvero, periculum ejusmodi in re, de qua agitur, praevideri multo facilius animo posse, quam praecaveri. Nam etsi ille, qui ad haec accedit, veterum, adfiniumque inter se dialectorum notitia (quod praecipuum nobis videtur) sit praeclare instructus, quarum tamen vix non deleta penitus vestigia et scimus omnes, et conquerimur: etsi mores ille omnes, religionesque antiquas in numerato habeat, quod ecquis praesumere ausit? etsi demum mira ille polleat ingenii et sagacitate, et dexteritate, qua una fit, uti *ex fumo lux*, ut ille ait, *detur*: quis tamen talibus hunc eumdem munitum praesidiis tutum a periculo praestiterit in his tractandis, si quando periclitari libeat?

Si quid in talibus video, periculum omne aut in *voce* est, aut in *re*, vel in utroque simul. Et si mora quidem sit in *vocula* una, alterave ignotae potestatis, sed quae interim sono adfinis sit voci uni, alterive cognatae

dialecti, salva fortasse res erit. Hoc enim in casu licebit a notis lumen mutuari, si in eo, quod mutuabere, nihil incurrat sententiae ante recte constitutae tenori repugnans. Quippe in dialectis adfinibus, cognatisque, quales mihi fuere semper et hetrusca, et graeca, et romana, et osca, et veliterna, et eugubina, et lucana, voces eaedem, nulla desinentiae habita ratione, vel alterius cuiusvis leviusculae diversitatis. quae propria sunt dialecti cuiusque, eiusdem fere esse significantiae plerumque consueverunt. Quis enim nunc dubitet, quin Lucanorum *commononi* idem sit, ac romanorum *communi*, sive graecorum κοινωνῷ? Quo uno exemplo, dialectorum inter se collatione contentus pro re praesenti sum, qui et pluria alibi dedi, et compluria sum deinceps daturus. Verum ecquo te vertas, ubi inaudita audias verborum portenta, quod non raro accidit? ad sententiam, inquies. Et in hoc laudo: anchoram namque tenes. At unde, sodes, de sententia tibi certo, vel probabiliter saltem, constabit? si ingenuus esse velis, heic tibi haerere aquam, fatebere.

In hoc divinandi genere nec primas, nec

porro alteras mihi defero. Tamen homini, puto, in his non mediocriter exercito fidem aliquam, habendam; quod non iactantiae, sed patientiae argumentum tibi esse volo. Monumenti, in quo versaris, circumstantias omnes, sive loci, sive temporis, sive generis alterius cuiuscunque, praeceperim tibi et operose inquirere, et diu, ac serio tecum reputare. Quandoquidem inde lux interdum insperato affulget, cuius beneficio, quae erant in abdito, recte pervideas. Sed monumenti genus ante alia tibi accurate statuendum, unde finis eidem praestitutus facile innotescat; quod, ut experiendo didici, obvium se dat plerumque ex uno vocabulo, alterove, vel formula aliqua notae potestatis. Sunt etenim suae cuique generi tum voces, tum formulae, tum incessus denique quidam ita proprius a veteribus praefinitus, consecratusque, cui si fideliter insistas, in transversum te agi vix quidem contingere possit. Verum haec ut assequaris, non perfunctoria, sed solida titulorum genus omne notitia te imbutum antea, oportet. Rem difficilem, inquies, postulas: non abnuo, et si quid ultra addendum, ad-

diderim. Verum ecquid inde? unum, nisi fallor: non omnibus concessum, *adire Corinthum*. Haec te in antecessum monitum volui. Atqui utinam qui sic monui, quidpiam tibi nunc afferam, quod tute imitando operam, oleumque minime perdidisse gratuleris aliquando! Id mihi profecto in hoc periculo propositum est: quod si pro votis cesserit, non ingenio illud meo, sed felicitati magis tribuas. Sin et me falli acciderit, sed consilium interea stabit, cui aberrationes meae quales, et quantae cunque fraudi numquam fuerint. Nec enim qui alios recte monent, hi sibi semper bene sapiunt. Sed antequam praeloquendi finem facio, consilium aliud meum aperiam, fortasso audax, quod a communi doctorum opinione paullisper deflectit; sed mature tibi perpendendum, cui persuasum velim: *quid quid sapientiae est, in hoc veteres iunioribus longe anteivisse*.

Non igitur iis accesserim, qui ex eo, quod nunc est, caetera metientes, Oscorum linguam vel tamquam rudem aspernantur, vel uti ieiunam, verborumque, aut characterum quoque penuria laborantem traducunt. Nam

simili ratione inelegans, et frigida his sit, necesse est, Hetrusca vetus dialectus, cuius tamen studiosissimos extitisse priscos romanos, ecquis ignorat? Immo qui sic arbitrantur, non dubito, quin idem iudicium de latino, graecoque sermone fuissent laturi, si huius utriusque paullo etiam pluria ad se pervenissent monumenta, quam quae oscae, hetruscaeque linguae supersunt. Rectiusde nationum linguis ex illarum moribus, opibusque iudicaveris. At Osci olim et opulentissimi, et deliciarum sectatores exquisitissimi, quarum exempla in multis praebuere romanis. Idque ipsum dictum volo de iis, quae ad grammaticae canones, κάι την τῆς λαλιας ἀκριβειαν, pertinent. Quaenam mundities, inquies, in oscorum sive dialecto, sive sermone, qui sordebat adeo, ut inde plebs romana risum captaret? atqui antiquum, aio, porroque aeternum plebeculae e peregrinitate sive dialecti, sive sermonis risum captare. Factum id saepiuscule a Plauto, qui ad populum, ridendi gratia, cum latinis graeca commiscet. Inelegantem idcirco taxaveris graecum sermonem? Sed de his satis.

Dispertita erit haec tractatio omnis qua-


liscunque, cuius pars prior Pompeianos titulos quosdam prosequetur; altera nonnullos alios hac illac, prout per occasionem licuit, decerptos.

§. I.

Pompeiorum tituli osci quidam explicantur.

Horum agmen ducat hic sine dubio reliquorum princeps habendus, nuper a V. C. Canonico de Iorio vulgatus.

I.



Forma I passim usurpatur pro *ve*: interdum et pro aspiratione mera. Spanhemio

tamen observatum, fuisse aliquando Oscis etiam pro sigmate. Quod si verum sit, non absurde accipi queat pro C leni, qualis Gallorum; quo posito, differat nonnihil, oportet tum a Z, tum a K, quae utraque sonum reddunt asperiorem. Et Z fortassse Oscis erat pro duplici sibilo, quo Latini quoque usi in voce *SSaturni*, et nonnullis aliis (1). Mazochio olim, Lanzioque ducibus Я pro rhotacismo habuimus. At nunc docti numis pro D sumimus; castigandusque propterea Lanzius, qui literam hanc ab Italorum alphabetis universis, uno excepto veliterno, fecit extorrem. Oscis iuxta, Hetruscisque forma ᑫ erat ex adverso pro rhotacismo. Sic in numis 8PENTADER, et 8ISTLVIS pro *Frentared*, et *Fistliis*: nam formam 8 fuissr φ, certo certius est. Z demum quasi TS, eoque paullo asperior prae Σ sigmate, quod fortasse S duplicato respondebat, quo secerneretur a Ɔ, si quando litera haec pro C leni accipienda erat, uti paullo supra observandi occasionem praebuit

(1) F. Arv. p. 500. et 506.

Spanhemius. Litera I usitata Oscis. Cur igitur eidem dextrorsum punctum adpingunt aliquando? nisi temere factum velis, habe pro duplici I, vel pro EI, aut pro I adspirata. Caetera tibi nota aliunde censeo.

Titulus a parte dexteriori ad sinisteriorem procedit, Orientalium de more. Sed cave, ne hoc unum indicium certum aetatis pervetustae praesumas: nostra quippe romana tempora minime praetergreditur. Commutatis nunc oscis cum characteribus communibus, inversisque lineis, de laeva ad dextram sic legito:

U · AADIRANZ · U · EITIVUAM · PAAM
UEREEAI · PVMPAEAAI · TREIZTAA
MENTVD · DEDED · EEIZAK · EEITIVUAD
U · UIEINIKIEZ · MR · KUAIZZTVR · PVMP
AIIANZ · TRIIBVM · EKAK · KVMBEN
NIEIZ · TANKINVD · VPZANNAM
DEDED · IZIDVM · PRVPHATTED

Labyrinthus tibi in prospectu est. Teneo. Ne turberis. Filum porrigit vox postrema *pruphatted*, quam sine haesitatione habe pro

eo, quod latinis fuit *probavit.* Sic hodie tritum nostratibus de vulgi faece *provatte* in eamdem significantiam. Ut iure plaudas Lanzio, a quo prudenter observatum, exculcatas veterum Italorum dialectos propius ad latinitatem accedere, quae in senium, barbariemque vergit. Adeo caeli temperies, solique vis loquelae organis imperant, ut si haec sibi paullisper permittantur, natura cogente, relabantur eo, unde vix olim emersere! Sic, ne singula persequar, passim apud vulgus idem *nui*, *vui* pro *noi*, *e voi*, veteres in his oscos secutum, qui litera O carebant una V contenti. Iam igitur ex una illa marmoris vocula *pruphatted* probe agnoscis, rem hic esse de *opere publico*, quod publica item auctoritate *fieri*, *probarique* consuevit. Patet hoc iterum evidentissime ex voce *deded*, quam ecquis non videat esse ipsissimum latinorum ἀρχαικὸν *dedet*, unde postea *dedit*? Nam, ut Gellius monet, frequentissima apud veteres literae utriusque inter sese alternatio: nec prodigii porro loco tibi in posterum erit, quod initio tetigi, oscum nempe sermonem a romano sola dialecto differre, quod ulteriorem

quoque confirmationem loco suo recipiet. Sed quale *opus* hoc *publicum*, percunctaberis? *sacrumne*, an *profanum*? Mox intelliges, si prius de auctore operis audieris. De talis ergo ad caput.

U. AADIRANZ.U. Vox media sit tibi *Aadiranius*, virile sine dubio nomen, quod per metathesin dictum *Aridanium* e Grutero disces a Latinis. *A* duplicatum principio vocis more archaico syllabae producendae argumentum indubium, quam grammatici *natura longam* appellitavere. Frequentissima apud Oscos nominum desinentia in *nz*, sive *ns*, quam latini fere unis participiis potestatis activae addixere. Latet sub priore solitaria U alterum *Adiranii* nomen; erant enim Osci binomii, haud trinomii, quales romani recentiores. Posterior vero *patris* nomen designat, quod utrum pro *Cajo*, aut *Velio* accipi debeat, incertus haereo, donec certiora affulserint. *Filii* tamen tacitum nomen, qui veterum omnium Italorum, romanis exceptis, mos fuit, quem nos hodiedum cum Graecis sequi amamus. De operis genere nunc te docebit vox

EITIVUAM, de qua facili labore extundes *aedem*, sive *aediculam*. Nec te in voce *paam* distinebo pluribus. Possis arcessere a graeco τῳ πας *omnis*: sed melius ab indefinito Oscorum *pis*, *pit-quipiam*, *quodpiam*. Pronominis ergo huius hae videntur fuisse Oscorum usitatae inflexiones. *Pis* pro sexu nobiliori; *Paa* pro sequiori; *Pit* pro genere neutro. Quale nunc opus hoc extiterit, versus proxime insequens interrogandus.

UEREIIAI. PVMPIIAAI. Mihi dandi casus est, reddoque: *Cereri Pompeiorum*. Ad Isidis namque Pompeianae marmor effossum accepimus; et graecorum, vel potius Aegyptiorum *Isidem* eamdem cum latinorum *Cerere* fuisse, diserte tradit Clemens Alexandrinus (1). Quin, ut recte observat Marinius (2): *Ceres*, *Vesta*, *Tellus*, *Cybele*, (adde et *Rheam*) πολλων ὀνοματων μορφη μια. Romanorum *Ceres* Oscis dicta *Vereea*, sive *Sereea*, si placeant, quae Spanhemius ad formam Ǝ adnotavit. Nec improbabile ta-

(1) Strom. Lib. I.
(2) F. A. p. 380.

men, sub *Vereeai* cortice ipsam latitare *Rheam*, cui per prothesin praefixa particula *ve*, quae graecorum *ευ* respondet, quasi si diceres: *Bonae Rheae*. Utcunque canes, si cum musicae huius peritis canas, numquam extra chorum. Nec tibi eripiat quisquam, huc referendum esse Isiacorum Collegium, de quo in parietina Pompeiana pictura sic:

CN · HELVIVM
SABINVM · AED · ISIACI
VNIVERSI · ROG

E diverticulo in viam:

TREIZTAAMENTVD · DEDED. In voce priori D finale mere paragogicum, uti in *preivatud*, *dolud*, *actud*, quo sublato, superest *treistamento*, quod Osci litera V carebant. *Testamentum* porro *treistamentum* forte dictum, quod in eius *αὐθεντιαν* ternos adhiberi testes, cautum erat. De voce *deded* pro *dedit* commemoratum supra. Hoc in loco tantumdem valet, ac latinorum: *testamento fieri iussit*. Hic quiesce tantisper, ut resumpto mox spiritu, ad partem tituli alteram gradum facias.

EIZAK · EITIVUAD. Vox prior nexus vim habet, quam, meo periculo, verte: *exhinc*, aliudve simile. In vocem *eitiuvad* inquirendum operosius. Deducta sine dubio ab *eitiuva-aede*. Terminatio in AD verbum detegit temporis praeteriti, ut in voce *deded*, et *pruphatted*. Redde: *aedificavit*. Quam nempe Cereri Aedem *testamento fieri iussit* Adiranius, hanc alius post voluntate eius extruxit. Sed ecquinam hic tandem?

U · UIINIKIIZ. Redde: *C.* aut *Velius*, *Vinicius*, et quanta honorum incedat apparatione, audi: 1. MR. hoc est *Meddix*, qui romanis *Meddix*:

Summus ibi capitur Meddix, occiditur alter.

At noster *Vinicius* non *summus*: ergo *alter*. Summus autem Oscis fuit *Tovticos*. Per me interpreteris licet, D · V · I · D. Quod indicio est, monumentum huiusmodi ad *Municipes*, haud *Colonos* Pompeianos, pertinuisse; quandoquidem his praepositi erant D · V · I · D. Et bene res habet: nam cultus Isiacus, ut alibi ostensum, *peregrinae*, non *romanae* religionis fuit. 2. KUAIZZTVR. PVMPAIIANZ. TRIIBVM, Verto:

Quaistor Pompeianus tertium. Triibum quippe pro *ternario ordinali*, non pro absoluto *τρεις*, vel *tres* habeo. EKAK nihil facessit negotii. Coalita coniunctio e praepositione *ek* quae latinis *ex*, et *ak*, quae iisdem *hac*. Redde: *exhac*, *post*, *deinde*, *demum*.

Quid nunc faciemus τῳ KVMBENNIEIZ. TANKINVD? Postrema haec vox sororiatur manifestarie cum TANGIN Lucanorum, quod olim ἀπο τȣ ἀγχειν derivavi. Rectius arcessas ἀπο τȣ τασσειν, unde ταγεις, *ordinatus*, et ταγμα, *ordo*. Multato itaque D paragogico, versoque V in O, tene pro *tankino*, et *decretum* interpretator. Et *Decurionum* utique *decreto*, qui insinuatur ad vocem *Kumbennieiz*, quasi *comvennieis*, idest *communis*, sive *communitatis*. Consentit haec formula cum graecorum illa notissima: Δογματι τȣ κοινȣ, de qua consule Hagenbuchium (1).

VPZANNAM solve in *upzam-ipsam*, et *nam*, dictionem syllabicam, pro qua latinis fuit *met*, habebisque ipsissimam *ipsammet*.

IZIDVM. Ex visu *Isis* quibusdam. Somnia mera! Vox composita ex pronomine *is*,

(1) Ep. Epigraph. p. 73.

et *idum* pro *idem*, quae latinis *eidem*, et *isdem*. Singula nunc colligens in unum, epigramma totum romano indutum habitu vide sic :

C. ADIRANIVS. C. F. AEDEM. QVAMPIAM
CERERI. POMPEIANAE. TESTA
MENTO. FIERI. IVSSIT. INDE. EXTRVXIT
C. VINICIVS. D. V. I. D. QVAESTOR. POMP
EIANVS. TERT. DENIQVE. DECVRION
VM. DECRETO. IPSAMMET
DEDIT. EIDEMQVE. PROBAVIT

Cereris idcirco, sive *Isidis* Pompeianae aedem nunc primum discimus Adiranii testamento quidem fieri iussam, sed a Vinicio revera conditam, qui fuit D. V. I. D. idemque Quaestor tertium Pompeianorum Municipum. Hanc deinde aedem terraemotu conlapsam a fundamentis restituit N. Popidius Celsinus, non equidem puer ille *sexennis*, ut visum quibusdam, sed homo plane *sexagenarius*, in cuius beneficii gratiam *Decuriones inter gratis* fuit *adlectus*.


Vides iam in toto hoc negotio ἀναλυτι-

κῶς omnino nos processisse ; nec enim fieri aliter poterat. Cave tamen, ut illud tibi in animum inducas, ἀνάλυσιν unam συνθέσις destitutam praesidio quidquam in re simili profuturam. Vel enim ex hoc uno exemplo nostro pervidere queas, quanta συνθέσις copia opus fuerit, ut eo deveniremus, quo demum ἀναλυτικῶς deventum est. Est enimvero ἀνάλυσις, prae συνθέσι, tempore prior, cum cognitiones nostrae omnes a singularibus proficiscantur. At ratiocinatio, quae utrique communis est, constare sine συνθέσι non potest. Ut de sententiae nunc concinnitate sileam, quadrata, sibique perpetuo constans characterum forma tituli huius cum linearum accurata proportione talem se praebet, ut vel uno hoc exemplo os iis occludere queas, qui ruditatem Oscis tantopere obiectant, Quae omnia splendidius profecto in oculos incurrerent, si iis in exhibendis scalprum nobis, non typi opera essent, quod temporis angustiae non patiuntur. Sed et tempori parere, sapientis est.

Haec nunc universa confirmantur egregie ex titulo hoc altero, item Pompeiano,

qui topho inscriptus, addito superne simulacro, nescio quo.

2.



Nuperus Scriptor, minime aspernandus, meique observantissimus, sic reddit:

C. Popidius. C. F.
Medd. Tut. restituit.
Et. dicavit. Isidi

Nempe fucum illi fecit vox *izidu*, quae *idem* est, non *Isis*. At Isidis simulacrum superne. Et hoc incertum. Esto tamen: ipsa *Isidis* imago, ut pro *Iside* accipiatur, vetat. Tacent quippe monumenta fere, quae oculis sunt subiecta fidelibus: quae ignorari absque hoc possunt, haec sobrie eloquuntur. Tophus praeterea longe ab Isidis Aede eruderatus. Refer ergo ad *signum*, privatum Popidii in Deum

aliquem, sive Deam, obsequium, quod in Aede ipsius *publice* fuerat collocandum, ut insinuare videtur vox *probavit*. Nec eidem assentior in hoc, quod ait, *Popidium* hunc *Celsinum* fuisse illum, qui Isidis templum terraemotu conlapsum a fundamentis restituit. Huic siquidem *Numerii* praenomen; at Popidio tophi *Caii*, ut ipse censet, praenomen adhaesit. Ad haec: Popidius iste *Meddix* fuit, et *Meddix summus*: *Celsinus* vero vix sexagenarius inter Decuriones adlectus. Quid nunc gratiae repensum Popidio foret, si de D. V. I. D., eodemque primo, tralatus *Decuriones* inter *adlectos* fuisset? *Gens* una communis ambobus, eaque, ut puto, Oscae originis, quae et *Popedia* nuncupata. Parum etiam prospere τὸ *aamanaffed* redditum pro *restituit*, cum nullius operis *restitutioni* locus in topho pateat. Lege idcirco sic ante omnia:

U. PVPIDIIZ. U
MER. TVU. AAMANAFFED
IZIDV. PRVFATTED

Deinde redde hoc pacto:

C. POPIDIVS. C. F
II. VIR. SVMM. I. D. FAC. CVRAV
EIDEMQ. PROBAVIT

Aamanaffed, ut in *prufatted*, habe pro tertia singulari praeteriti. Αφη Platoni est etiam *manuum ministerium*; et *affed* praeterea possis arcessere a graeco ἅπτομαι. Brevius, fortasse etiam rectius, *a manu fio*. Recurrit vox eadem, et in eamdem potestatem, in hoc:

3.

ƎVT · ЯƎW · ᗡT · ƧI·IBƎᗡTIИ
ЯƎ88ꓶИᗡWᗡᗡ

Lege:


NITREBIIZ. TR. MED. TVU
AAMANAFFED

Hoc est:

NITREBIVS. TERT. MED. SVMMVS
FACIVND. CVRAV

In uberioris doctrinae gratiam pro praeteritis huiusmodi Oscis afferam epigramma, etsi ab aliis productum, illustratumque, *mensulae Veneris Erycinae* insculptum; in quo legere est *pruffied* pro *obtulit*, seu *dono dedit*. Est autem huiusmodi:

4.



Quod ita legendum:


HERENTATEIZ. ZVM
L. SLABIIZ. L. AVKIL. MEDDIZZ.
TVUTIKZ. HERENTATEN. HERVKINI
PRVFFED

Latine sic:

VENERIS. SVM
L. SLABIVS. L. F. AQVIL. MEDDIX
SVMMVS. VENERI. ERYCINAE. DONO
DEDIT.

Nunc salivam ciet titulus hic alter, item Pompeianus.

5.



Non uno characterum nexu titulus implicitus, quibus expeditis, hic illius cortex:

EKZVK. ANUIANVD. EITVNZ
ANTER. TIVRRI. XII. INI. UEI
ZARINV. PVPH. PHAAMAT
MR. AAKIRIIZ. U

Nucleus nunc petendus. Suam in epigrammate hoc explicando operam vir quipiam doctus minime poenitendam quidem collocavit. Sed, quae attulit, non omni ex parte faciunt satis.

MR. sine controversia *Meddix* est. Ad rem itaque publicam marmor revocandum,

deque *Taberna*, ad quam reiecerat vir doctus. transferendum in locum honestiorem. *Meddix* iste salutatur AAKIRIIZ. Vocalis A geminata initio vocis, hiandi more sollemni Oscorum, quarum altera deleta, fit AKIRIIZ, *Acerram* intellige, sed Campanam, de qua Vergilius (1).

Vacuis Clanius non aequus Acerris: tres enim extitere *Acerrae* cognomines. Quae vero hic *Aaxiriiz*, in numo, quem referunt Mazochius (2), et Eckelius (3), est AKERV, quod *Acerrum* interpretatur. Sed probabilius *Aaxiriiz* est *Acerranus*, derivatum videlicet ab *Acerro*. Vocem hanc Auct. CL. *Dissert. Isag.* legit AARIREZ, quae ipsi *adires*. Sed forma ꓘ quadrata, qualis etiam visitur in numo Acerrano supra relato, videtur esse ꓘ, non R latinorum inversam, lineaque transversa superne e mero scalptoris arbitrio est, cuius rei exempla non pauca in hisce obviant. Desinentia praeterea in IIZ *nomen* olet magis, aut simile quidpiam, quam *verbum*. Caeterum sit quodcumque, e voce *adires* nihil sententiae consentaneum exprimes. Initia-

(1) *Georg. II.* (2) *Diatr. V.* (3) *Num. anekd. p.* 20.

lem Ɪ ultimo loco positam ne ambigas, quin pro *curavit*, alioque simili, accipias: nam et memoratum supra, interdum Oscis Ɪ stetisse pro C gallorum leni. Nunc de calce ad carcerem redito, et quae epigrammati subiecta sententia, coniectando saltem adsequeris.

EKZVK dispesce in duo, *exs*, *ex*, uti *ab*, *abs*; et *ux* pro *hoc*, nam Oscis nullus usus literae O, ut saepe monitum.

ANVIANVD igitur tibi esto pro sexto casu, ut *dolud*, *actud*. Propter adfinitatem V cum B possis efferre *anbianud*. Redde igitur: *ambitu*, sive *ambidio*, unde *ambio*. *Ambidium* occurrit ex Varrone apud Festum (1). *Ambitus* autem continebatur spatio pedum duorum ultra semissem; eratque locus circa aedes relictus, ut circumeundi esset facultas.

EITVNZ *itus* est, sive *iter*, unde *eo*, et *ito* commune Oscis cum romanis.

ANTER, cuius tres literae priores uno nexu exhibentur, est *ante*, nam *r* finale mere paragogicum. TIVRRI stat pro *tiurrim*, *turrim* scilicet, sive *turrem* latinorum. Ex quo

(1) *Cap. VI. n.* 15.

coniecturam sumimus, priscos Latinos praeterire interdum solitos cum Oscis *m*, sive *n*, in fine dictionum.

Nil extra est oleae, nil intra est in nuce duri.

Tiurri propterea XII. verte: *turrim* XII. Nec te fugit, *turres* moenium fuisse tutamina, quae supra moenia ipsa adsurgebant. Pompeiana idcirco moenia ad minus turribus duodecim muniebantur, quarum reliquias adhuc cernere oculis est.

De EINEI, deciso primo E redundanti cum EI finali, fit *in*. Igitur *Veisarinu*, sive *Ceisarinu*, loci nomen erit, et in accusandi casum, quod notandum. *Ceisarinu* namque oscum est *Ceisarino*, cui pro quarto casu latini prisci addebant *m* in fine, ut *Luciom* pro *Lucium*. Quid porro hoc sive *Ceisarinu*, sive *Veisarinu*?

Ceres Pompeianis dicta VEREIIA, ut supra insinuatum. Ecquid igitur vetat, *Ceisarinu*, sive *Veisarinu*, *Caesareum* interpretari? *Caesareum* vir summus Marinius interpretatur *aediculam sacram in luco Deae Diae, a Caesaribus nuncupatum, qui Deorum catalogo essent inserti*, Verissimeque monet,

quod per nos in Comment. VI. luculenter est demonstratum, templa hujusmodi passim in Municipiis, Coloniisve obviare. An *Caesareum* hoc idem cum *Aede pompeiana Fortunae Augustae*, quam olim a solo excitavit Marcus quidam nomine Tullius? id vero ut praesumi probabiliter potest, sic damnari sine iniuria non potest. Et fortasse *ambitus* iste ea de causa stratus, ut ad *Aedem Fortunae Augustae* itus esset commodior. Qua consideratione permotus τὸ *puph* et *publicum* interpretor, et ad *Caesareum* refero.

Pro PHAAMAT, quam vocem Osci penitus peculii arbitror, nihil nunc aptius succurrit *Phamea* illo, de quo Cicero (a): *Phameae causam susceperam, ipsius quidem causa: erat enim mihi sane familiaris. Phamea* igitur nomen viri, qui fuerat *Meddix Acerranus*. Quid hic, inquies, Acerrano Magistratui cum rebus Pompeianis? at te meminisse volo vetus illud: *plura posse asinum interrogare, quam philosophum respondere*. Longe alia tempora illa a nostris, in quibus

(a) Lib. VII. Ep. 24.

civis civem odit, privati raro, vel nomine tenus, inter se amici, boni publici, sui cuique cupidus, immemores fere omnes. Una olim urbs orbis omnis erat, quoad romanae viguere leges; quodque Principi factum, id sibi, patriaeque factum putabant universi: ubivis bene faciendi potestas data. Sed non his hic locus. Brevius nunc, quo curiositati tuae, quoad fieri potest, faciam satis. Crebro apud veteres vir idem diversis, pro locis diversis, functus sive muneribus, sive honoribus. *Phamea* igitur, qui *Meddix Acerranus fuerat*, idem et Pompeiorum *civis erat*. Tu interim titulum latine loquentem sic habe:

EX. HOC. AMBITV. ITER
ANTE, TVRRIM. XII. IN. CAE
SAREVM. PVB. PHAMEA
MEDDIX. ACERRANVS. STRAVIT

6.

IƎN+Ǝ] I+ƧA8
+ · √Ⅎ · IV٩+Ǝ] · IΘ٩ꓤ√

Reddo:

PHAVSTI. VETNEI
LARTHI. VETRVI. FL. T

Fortasse: *Fausti. Vetunii. Larthii. Vitruvi. Fil. T.* . . . Sed pro *Vetunio*, si placet, redde *Vettonium. Vettonium* habent inscriptiones.


§. II.

Divinatio in quaepiam alia a Pompeianis osca monumenta.

Poenitet iam, in his excussisse pudorem, etsi resipiscendi spes nulla, vel vix modica. Nam ecce labyrinthus alius intentatus hactenus, et quo in tentando utinam fortunam magis nostram desideres, quam audaciam vituperes! Obversatur animo marmor illud oscum, quod III. Id. Maii an. 1792. Nolae effossum accepimus in Viridiario Viventiano e ruderibus templi cujusdam oppido pervetusti. Excurrit in latitiem per palmos fere ternos, longitudine intra palmi unius

ambitum coarctata. Si characterum formas spectes, magnitudinemve, nihil ad penitioris antiquitatis speciem splendidius. Quorum duo, tres ad summam, initio epigrammatis desiderantur, cum alii duo ad finem dimidiati dumtaxat inferne supersint, quorum idcirco iacturam facile est resarcire. Ecce illud tibi:

1.



Redde sic characteribus communibus, pro more semel constituto.

.. YNIZ. UEILENAIZ. NAVMZIEIZ. KN
NERKENZ. KAAUIIZ. PERKENE
P. KERRIZZ. DEKETAZIVZ. ARAKE P

Oscis igitur pro litera A duplex forma fuit, ᴙ videlicet, et ᗩ. Item pro P interdum forma Π, interdum Λ, ut Etrusci, utebantur, et K haud raro dimidiatum scri-

bebant per Ꮖ Id latinis quoque usitatum. Ꮖ- ta in marmore Musei Borbonici, cuius initium *C. Vellaeus. Albanus*, cietur *Tagullia. Progne.* Ꮖ. L. idest *Kaiae Libertae.*

Titulum pluribus de causis accenseo *sacris*. 1. quod de *templo* eruderatus. 2. quod in eo occurrunt voces *naumzieiz*, *deketazius*, et *arake*, de quibus singillatim quaerendum.

NAVMZIEIZ repeto ἀπο τȣ̃ ναȣ̃, quod est *templum*. Hinc *naumzieiz* templi fortasse *sacerdos*, vel potius *aeditimus*, cuius erat, *decimas excipere*. Numer. namque Capit. XVIII. sic legitur: *aeditui, et ianitores accipiunt decimas*. DEKETAZIVZ proinde facile ἀπο τοȣ̃ δεκατοω fluxerit, quod est decimas accipio, nisi placeat magis δεκα, et αἰτεω, quae in idem redeunt. Vox denique ARAKE quam parum abest a latinorum *aram hanc*? iam enim superius observatum, *m* finalem exulare a quarto Oscorum casu.

Quae si collineent (minimum certe a scopo abire videntur) nemo iure vetabit, quin postremam singulariam P. pro eo accipias, quod romanis fuit *posuit*, vel *posuere*. Totum ita-

que epigramma, si recte audio, sic romano ore loqui videtur:

MYNIVS. VELENAEVS. AEDITVVS. CN
NERCENIVS. GAVIVS. PERCENNA
A. CERRIVS. A. DECVMIS. ARAM. HANG. P

Quatuor hi viri, ut Osci in more habebant, binomii omnes. *Mynius*, seu alius quivis, *aeditimus*, reliqui tres *decimarum exactores*. Quae te nunc religio incessit, quin de Nolano *Herculis* templo cogites, cui *Decimarum* apud gentes origo, et ius attributum, et quem a Nolanis impense cultum novimus?

Leviora, haud faciliora, quae sequuntur,

2.

ΣIV AEI · Z· ΣENVVEZ· E⟩ VV⟩ THNꟼZIM

In fundo lancis figlinae ex agro Saticulano, quam mihi considerandam exhibuit vir eruditus Antonius Jordanus. De laeva ad dextram, more nostro procedit, quod sigillum

ex adversum fuerat insculptum a dextra ad laevam. Characterum forma ab hetruscis propius abit: nexus satis cerebrosi. Litera A latinorum formam sequitur. Legerim sic:

VILAEIZ. VENVLEZ. EKVLK. THNAZIM

De lance hic agitur, quam puto alicui Deo, Deaeve *consecratam*. Reddo:

VILIAE. VENERI. EGO. HVC. SACRA. SIM

Viliam gentem puto, quae Romanis dicta *Vellaeia*, sed apud hos videas quoque et *Viliam* et *Villiam*. *Venerem* ab Oscis *Venulem* nuncupatam, ne mireris. Nota tibi adfinitas soni inter liquescentes R, et L. Pronomen *ego* commune graecis cum latinis. Cur non et cum caeteris omnibus veterum Italicorum dialectis? Aqui Osci carebant litera O, pro qua usurpabant V. Latinorum ergo *ego* his fuit *eku*, seu *egu*, ut hodiedum Calabri rudiores cum Abellinatibus, atque Lupiensibus. K autem additum in fine vocis compositam insinuant ex *ego*, et *huc*. *Thna-*

sim, reddita auxiliari E adspiratae Θ, est *thenasim*. Verbum censeo modi subiunctivi, ut *ausim*, *velim*, repetoque *ἀπο τȣ̃ τιθεναι*, *ponere*. Inde *ἀναθηματα*, *dona diis* dicata. Scio, plerosque in his investigandis de fontibus remotioribus haurire solitos: sed nescio, utrum sincerioribus. Ego propioribns restinguere sitim meam amo: an certioribus, iudicent alii.

3.

VƎꓘIM VƎΛ · ZƎMЯΛM

In fundo item paterae figulinae Musei Clarissimi Spinellii. Sic lego, et interpungo:

MADMEZ. AEL. MI. KEL

Madmez habeo pro *Mamers*, qui *Mars* Oscis. MI pro *εἰμι*, ut supra. KEL vox decurtata pro *κελομενη ἀπο τȣ̃ καλειν*, *vocare*, unde *κελω*, vel *κελομαι*, *iubeo*. Sententia erit :

Non me latet vox κελημα, *cura*, *amor*. Quin et κελη, cui parum honesta apud veteres Comicos notio subiecta. Nec deerit, cui libeat ex his extundere aliquid, quod αλλεγορικῶς fortasse vulgata Martis, Venerisque furta attingat. Sed talium et piget, et pudet, etsi ab Ethnicorum moribus minime absona sint.

In duplici urna duplex titulus inscriptus, quorum prior talis est:

IV√V. 8. IM

Alter vero sic habet:

5.

√AIV√V. 8. IM

Priorem sic reddidit V. C. Inghiramius, trepidanter tamen, ut in talibus decet virum eruditum, apprimeque prudentem:

Sum. Flavii. Elii

Alterum vero sic :

Sum. Fausta. Elii , vel *Olui.*

Mihi certum est , ad eamdem gentem urnam respicere utramque. Ergo vel utraque *Flavia* , vel *Fausta* utraque. Pro *Fulvia* steterim. Nec me turbat punctus medius 8 inter , et V. Cerebrosae huiusmodi interpunctiones , si modo cerebrosae , frequentissimae apud Veteres , ne Romanis quidem exceptis. Priorem idcirco reddiderim : *Sum. Fului.* Posteriorem autem : *Sum. Fulviae. filiae.* In utroque tamen haesitans , trepidansque , viri clarissimi exemplum imitabile secutus. Ecce nunc oscum sigillum , *soleae* formam referens , cuius generis familia mihi in dies accrescit.

6.

Z VōΛ ·N

Legerim : N. LOLL. Z. forte *N. Lollii.*

*

Nam hasta transversa superne ad literam O, prae sororibus arctior, mihi est duplicatio liquidae L. Forma Λ pro liquida L item usurpata, cuius rei exempla non desunt. At si quis pro A acceperit, non repugnaverim. Hoc in casu legendum: AOLL; demtoque A redundanti, erit Romanorum *Ollius*.

Sed ne fabula tandem suis sine morionibus claudatur, prodeat in scenam titulus oscus plane ridicularius, ut quibusdam videtur, Epicureorumque palato attemperatus, sed qui ad sensum saniorem retrahi queat. Prostat ille in Castro Baroniae ad fores Philippi Andreottii, exceptusque ab eruditissimo Friderico Cassitto, nobiscum est ab eodem humaniter communicatus:

7.

NΛK · ZIIB · B · NB · NB · NΛK

Si Oscorum consonis eaedem, quae graecorum, assignandae auxiliares, sic legendus videtur:

KANI. BENI. BENI. BEBIIZ. KANI

Cassittus noster BN. B. BIIZ. interpretatur: *bene bibe*. Laudo. Verum ecquid solitariae B faciemus, quae si reduplicatio esset prioris BN., non B simplex, sed BN esse debuerat, adeoque *beni* non bis, sed ter fuisset repetitum? Ad haec: BIIZ, non imperandi modi, sed nominis, seu participii osci desinentia esse videtur. Ad vocem idcirco BIIZ traxerim B praecedentem, puncto medio in talibus nihil obstante, ut sit *bebiiz*, seu *bibiiz*, *vivens* a graeco *βιοω*, romanorumque *vivo*, quod iure affinium *b*, et *v* sine iniuria mihi assero. Sensus ergo videtur:

Cane. bene. bene. vivens. cane

Nam cum in cognata Hetruscosum dialecto sint KANA, et KANTVR in *canendi* significatione, cur ab eadem hoc in casu abhorreas? Verum Hesychio Χανα est κοσμησις, genus ornamenti. Nil igitur per me stat, quin KANI reddas: *orna te*, quod est *lautus esto*, seu *elegans*, *tracta te bene* nihil tibi de tuis parcens.

Nescio, utrum in his im morati magis, quam morati, iusto diutius fuerimus. Sit quodcunque. Nostri nos consilii minime poenitet. Si quando similia de tenebris emergant, alia cum aliis conferens, quid collineet magis, aut a scopo minimum aberret. tute saltem facile internosces. Unum, antequam dimissum faciam, te meminisse velim, quod saepius inculcatum, nec satis umquam inculcari posse, arbitror.

Nos, more nostro, institutoque sollemni, de tituli ante omnia genere constituendo sollicitos perpetuo fuisse; quo semel constituto; in obscuris lucem a dialectis cognatis praecipue mutuati sumus. Cognatas autem dialectos habuimus semper graecum, latinum, hetruscum, oscum, eugubinum, veliternum, lucanum sermonem, qui non magis inter se olim differrent, quam ab Abellinate, Calabro, Lupiense. Apulo, Peligno differt hodiedum vernaculum Neapolitanorum idioma. Quod nisi concedatur, doceant, qui aliter sentiunt, quî factum. ut fabulae oscae Atellanae romanae plebeculae tantopere in deliciis fuerint. An, quae minime intelligebant, tanto cum

voluptatis studio sibi insusurrari auribus ama. bant? Cur in dialectis hisce omnibus vocabula pleraque usus vitae communes attinentia, eadem fere recurrant? Cur formae characterum, quibus utebantur, vel eaedem, vel tales, quae ad idem facili labore revocari queant? Si usu crebriore, qui comes est patientiae (nec spartanam illam, nobilemque Eumolpi intelligo) his demum adsueveris, futurum confido, ut de omnibus dicas:

Facies non omnibus una,

Nec diversa tamen, qualem decet esse sororum (1).

Nec illos audias, qui oscum sermonem ignotum latinis inde arguunt, quod a Livio accepere, non romanos, sed oscos homines ad Samnitium exercitum explorandum missos. Sermo quidem utrorumque unus, dialectus varia, qua facillime, nec sine sui periculo, internosci ab hostibus romani exploratores po-

(1) Metamorph. II.

tuissent. Ἡ λαλιά σου δῆλόν σε ποιεῖ. Atqui Hebraei erant, qui hoc Petro obiectabant; Hebraeus Petrus, sed Galilaeus tamen. Et ego romanos, florentinos, apulos, calabros, si mecum sermones misceant, probe intelligo. Nec illi tamen concivem in me suum agnoscent, nec ego in his nostrates meos. Satis haec. Multo satius, si nihil tibi inepte moliti hactenus videmur.

N. *Qui accuratam* τὴν καταγραφὴν *desiderat titulorum* §. 1. n. 1. 2. 3. 5.; *adeat* de Jorio - Musèe Bourbon etc. Naples 1830.

		ERR.	CORR.
pag. 8	ver. 1	IV	IMMV, ea enim vis nexus
10	5	ubrubri	subrubri
Ib.	13	lilera	litera
43	8	quirum	quorum
52	8	taqulae	tabulae
64	14	nempo	nempe
65	3	Mosei	Musei
77	10	nomina hactenus	nemina hactenus
80	19	adversarii	adversariis
82	8	sculpra	sculpta
83	5	κειμελος	κειμελιοις
88	12	facle	facile
90	18	si	etsi
91	4	spere	sapere
Ib.	5	solicitat	sollicitat